



The Holy See

PIUS PP. X

EPISTOLA

AD LEGATUM APOSTOLICUM VALLIS POMPEIANAE*

VENERABILI FRATRI
AUGUSTO ARCHIEPISCOPO TITULARI
CAESARIENSIVM PONTI
MAGISTRO LARGITIONVM NOSTRARVM
NOSTROQUE LEGATO AEDI SACRAE PIISQUE POMPEIANIS
OPERIBVS REGVNDIS

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ut te deligeremus, qui Nobis a largitionibus esses, tua enimvero effecere promerita, explorata illa quidem Curiae Nostrae universae, spatiumque omne collustrantia sacerdotii tui, quando, variis in muniis, doctrinam» prudentiam, pietatem innocentiamque morum adamasti. Tum vero maxime virtutem elucentem vidimus tuam, quum Pontificalis Legati munere ad sacram aedem et ad pia Pompeiorum opera, sive in animorum sive in huius vitae bonis, moderanda fuisti perfunctus. Iam, Aulae adlectus Nostrae, officioque auctus maximae fidei, non tamen Legationem desinas volumus, equa si adhuc emolumenti non paullum; Pompeiana opera collegere, plus certe persensura in posterum fidimus. Itaque volenti animo munus insistas tam digno creditum, illudque stimulos addat, operae te posse niti sollerti, exercitatissimae, adeoque perutili, quam vir clarus Bartholomaeus Longo itemque nobilis femina Maria Anna Fusco, comes, uxor eius, erunt tibi navaturi. Qui quidem de incremento et prosperitate rerum sacrarum Pompeianae Vallis non modo probe meriti antea sunt, sed bene etiam in praesens mereri perseverant. His in causis tum illud libet in primis recordatione repetere, memoratos coniuges, pietate in Nos singulari impulsos, iura Sedis Apostolicae agnovisse libenter ea in opera, quae essent illic, eorundem studio fideliumque ex aere collatio, constituta; tum diligentiam placet, non sine laude, nominare actuosam et piam,

unde non dissimili, ac antea, ratione sive templi illius clarissimi decus, sive Instituta Pompeiana accurant; tum denique opem commemorare par est, efficacem observantemque, tibi ab utroque coniuge praestitam, opportunamque etiam posthac, in munere Legati explendo, futuram. Quapropter gratum Nobis est Nostrae testimonio laudis utrumque honestare; simul Deum vehementer exoramus, quo uberiora velit, deprecante Deipara a Rosario, gratiae suae praemia iisdem largiri. Singularia vero supernae virtutis adiumenta in te potissimum, Venerabilis Frater, devocanda censemus, eorum acti desiderio commodoque operum, quibus alacritatem illam tuam opus esse intelligimus, ut ecce sacra Basilicae turris, aeneae templi portae, excipiendis peregrinis hospitium, perficienda domus liberis captivorum instituendis, annui denique constituendi redditus pro templi operumque sustentanda perpetuo vita; quae quidem utilitatis summae instituta quum uni innitantur pietati voluntatique fidelium, horum placet sperare non fore defuturas, sicuti antea, caritate suadente, stipes. — Testem dilectionis praecipuae Nostrae, auspicemque caelestium donorum, tibi, Bartholomaeo Longo uxori, piis Pompeianae Vallis operibus, religiosi item sodalibus a disciplina Dominici Patris et Ioseph Calasantii, sacerdotibus quoque universis, qui in aede illa sacra animorum curationi adlaborant, Institutorum administris et opificibus, singulis etiam utraque liberali domo receptis, iis denique universis, qui subsidio Instituti venerint, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Roma e apud S. Petrum die XX Ianuarii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X

*AAS, vol. XL (1907), pp. 193-194.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana